DE

VENTRICULO PERFORATO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA AC CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

AD DIEM XXIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS GUILELMUS SABAT

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

F. I. A. LEUE, MED. DD.
F. F. JUNGNICKEL, MED. CAND.
B. RAVE, MED. CAND.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

BEROLINI, FORMIS FEISTERIANIS.

Medicina non ingenii humani partus est, sed temporis filia.

G. Baglivi

praxeos medicae Lib. I. p. 6.

VIRO

PRAENOBILISSIMO SPECTATISSIMO

SAM. FOERSTER

DE SE SUISQUE MERITISSIMO

PERENNE GRATI ANIMI MOMENTUM.

HOCCE SPECIMEN INAUGURALE

D. D. D.

Auctor.

PRAEFAMEN.

Anatomia pathologica quid utilitatis medicinae attulerit, notissimum est. Ad dignoscendum morbum obscurum, vel causam quandam e multis sedemve morbi saepe facem praebuisse, et omnino ad artem salutarem perfectiorem reddendam multum valuisse, quis est, quem fugiat, qui assiduitate, quae usus diuturnus docuit, observaverit, et qualis medicina fuerit ab initio aetatis, quanto autem procedente tempore observationibus ope cultri anatomici in dies factis, uberior copiosiorque effecta sit, animo secum reputaverit. Sin autem hanc viam persequamur, praecipue hoc ipsum est cavendum, ne vel ex negligentia vel ex nimia festinatione incidamus in errores, quippe qui semel commissi facile in omnes medicinae partes redundant, atque magna detrimenta procreant. Eo facilius dicta evenire solent, quo magis visa reperta in cadaveribus dissectis non satis distinguuntur, sed causae pro effectibus viceque versa phaenomena pro causis habentur. Ex quibus sequitur, sectiones defunctorum semper cum diligentia ac observatione instituendas esse, ut construendis phaenomenis, durante vita vel dificientibus vel aliter apparentibus, sufficere atque servire possint. Quapropter cum annum inte-

grum et dimidium munere medici inferioris in nosodochio charitatis perfungerer, opportunitatem ibi oblatam, corpora gravioribus morbis extinctorum dissecandi nunquam repudiavi, sed potius, avidus nova atque non dedecta videndi et detegendi semper voluge arripui, ita quidem, ut exacto cursu non paucissimos fructus ex observationibus ejusmodi me hausisse gloriar. Ex multis tamen eo tempore, quo de dissertatione elaboranda meditarer, unum exemplum observavi, quod descriptu dignum prae omnibus mihi videbatur. Quid mirum igitur, quod extemplo paratus gaudioque perfusus hunc laborem subierim operamque susceperim. Quodsi autem istud thema dissertationi jam aptissimum habui, tamen propter temporis brevitatem rerumque angustias mimime ab omni parte absolutum esse libenter concedo. Vos igitur rogatos velim, qui legendo opusculum ornare operae pretium ducatis, ut laborem, qualiscunmque sit, non arbitrio seviori submittatis, sed benovole viribus juvenilibus indulgeatis. Valete et Favete

Auctori.

INTRODUCTIO.

Ventriculi, tanquam palmarii digestionis instrumenti, tanta, quoad oeconomiam animalem, dignitas est, ut jure meritoque pro reproductionis universae centro possit haberi. Quum enim illa potissimum digestioni et assimalationi valide innitatur, functionesque animales vix non omnes a nutritione ut a basi pendeant, integritas ventriculi non solum eximias veletudines partes agat, sed ipsam vitae moram sustineat necesse est, quemadmodum anomaliae seu morbi ejus vitia multifaria oeconomiae animali infesta inducere consueverunt. Sive illa vitia secundaria sint, sive primaria, sive ipsum ventriculum offendant, sive partes remotiores, cum eo commercium habentes, haud interest; etenim vitae fulcra affectionibus illis labefactantur, effectusque ob organi nobilitatem funestissimi in conspectum prodeunt. Permulti morbi diuturni imo acuti, quorum exitus malignus saepenumero ab ingenti systematis gastrici offensa dependet, hancce sententiam contestantur. Si v. c. febres intueamur, facili negotio liquet, eas perniciosissimas existere, quae protinus inter initia systema gastricum subigunt, perversaque alteratione, consumtione superante et mutatione organicorum in anorganica (colliquatio) disproportionem defectum inter et refectionem exhibent. Haud pauciora ejus rei specimina morbi longi offerunt, quippe qui prae ceteris medici curam operamque irritam reddunt, si in reproductivo systemate, nominatim in ventriculo

tanquam ejus fonte radices egerunt, quod quidem circa plurimos evenit. Mentionem fecisse sufficiat carcinomatis ventriculi ceu vitii atrocissimi atque pertinacissimi. Causae, quibus moborum istorum perniciositas praesertim efficitur, haud procul abesse videntur, etenim nutritio, omnium vitae processuum, tam materialium, quam dynamicorum basis labat, assimilatio et sanguificatio minus quam par est respondent, functiones hisce innixae, ne excepta quidem sensibilitate et irretabilitate, haesitant, vicissitudo materiarum vitae maximopere necessaria suspenditur, ac mors inevitabilis irruit. Hanc ob rem morbi totum obsidentes ventriculum subito interdum interficiunt, eademque ratione vitia ab initio mere dynamica ac serius demum fabricam pervertentia, tardius quidem, sed certo mortem inducere consuerunt. Ex his luculenter patet, medicum prae omnibus id dispicere oportere, ut omnes ventriculi affectus, licet exigui appareant, exactissime attendantur, et si minus etiam periculi portendant, sedulo curentur. Causae hujusce rei in facto positae, partim in dignitate visceris affecti, partim in opulentia nervorum vasorumque sanguiferorum, neque non in structura, viribus vitalibus, in functione ad oeconomiam animalem gravissima, in commercio ejus cum rebus externis, denique in multiplici consensu, quaerendae videntur, quem stomachus cum pectoris, ventrisque visceribus, praeprimis vero cum cerebro alit. Animi pathemata digestionem abalienare atque infringere, hydrocephalum infantum et vomitum et gastritidis symptomata inducere, versaque vice exonerato ventriculo deficienteque ciborum appetitu, sollicitudinem, ingenii difficultatem, cephalalgiam aliaque subnasci pro comperto habemus. Quodsi consensus iste reliquis etiam organis, quibuscum ventriculus commercium vel romotius vel propius alit, cum evidentia vindicari potest, quid est, quod miremur, aegrotationem hujusce organi frequentissimam esse, exitum raro prosperum largiri, effectus funestissimos, cruciatus infinitos existere, placidum vitae usum, si vitia fabricae permanentia sint, in perpetuum turbari mortemque miserrimam et ferocissimam ejusmodi aegrotos manere! Ab altera parte non ignorare oportet, ventriculum ita esse constitutum,

ut quibusdam sub conditionibus multas magnasque injurias perferat. In memoriam revocentur velim narrationes, quae de cultrivoris, vitrivoracibus et pyriphagis traduntur 1). Etiamsi narrationibus hisce non ex toto fides habenda sit, sed multae earum citra dubium fictitiae vel additamentis exornatae videantur, exemplis tamen haud destituimur, quae ventriculum ingentes injurias exantlare posse, testentur, id quod vulnera 2) ejus et operationes 3) circa eum institutae abunde confirmant. Haud magis tamen haec exempla quam superiora organi aegrotantis dignitatem refellunt, siquidem illis in exemplis consuetudo, cujus maximam vim esse novimus, consideranda venit, in his vero corpora, priusquam vulnerentur, utplurimum sana validaque nec alio morbo infracta fuerunt. Effectus igitur alius redundaret necesse fuit, quam in iis, quibus anomaliae istiusmodi internis e causis supervenerunt, vitiique seminia per annos forsan in corpore delituerunt. Argumentum nimis amplum et difficultates eximiae impediunt, quo minus omnes morbos huc spectantes exponam et dissertationi meae injungam. Quapropter in eo acquiescam, ut abnormitatem ventriculo saepius infestam, scilicet ostia et foramina praeternaturalia post mortem in ventriculo reperta adumbrem. Exemplum hujusmodi a me observatum ad hanc scribendi materiam animum appulit, quod quidem, praemissis omnibus hac de re mihi compertis in historia morbi, opusculo adjecta, fusius enucleabo. Dissertationem commodissime in tria capita diduci posse existimo.

---

1) Ludwigii primae lineae anatomiae pathologicae. Lips. 1785.

2) Voigtel's Pathologische Anatomie Th. II. pag. 497.

3) Richter's Anfangsgründe der W. A. B. IV. Cap. IX. §. 318. S. 216 fg.

Cap. I.

De foraminibus ventriculi praeternaturalibus generatim obviis, et de praesidiis, quibus natura ad sustinendam vitam uti consuevit.

Forma et fabrica ventriculi eam referunt indolem, ut inter ipsam vitam ostia et foramina praeter naturae normam exoriri queant. Ventriculus, saccum ovalem aemulans, membranis fibrisque muscularibus constructus, innumeris vasis atque nervis perplicatus et continuae tubi intestinalis seriei interjectus, perinde ac aliae corporis partes, potentiis alienis, quarum neque qualitas neque quantitas naturae et gradui actionis ejus congruit, multifarie mutetur atque offendatur necesse est. Mutationes istae (si a potiori intuearis) vel vires ei inhaerentes aut mixtionem formamque ejus attinent, vel cohaesionis gradum ab iis dependentem eique competentem, cujus ope salvis rebus situm proprium obtinere molitur. Quodsi contractilitas ventriculi ad normam respondet, ideoque consentanea contractio et expansio praestatur, sanitas existit, sin antagonismus virium illarum elementarium quocunque modo evertitur, naturalem cohaesionem suspendi et vel immodicam expansionem (in inflammatione) vel nimiam contractionem (in spasmo) gigni oportet. Quodsi alterum fit in partibus cylindricis et cavis rigiditatem fibrarum, voluminis diminutionem, crassitiem duritiemque morbosam oriri videmus, sin prius accidit, fibrarum laxitas, expansio, dilatatio, rarefactio compaginis organicae, mollities praeternaturalis, et in supremo morbi fastigio, solutio, ruptura, laceratio et mors enascuntur. Neque semper tamen utraque vis aegrotet efficaciamque suam despondeat necesse est, ut ista formae texturaeque vitia generentur. Manifestationes virium absolute praepollentes, quibus ventriculus non sat repugnantiae offert, sive externis, sive internis causis efficiantur, cohaerentiam infringere et cohaesionem pesundare queunt. Ossa, musculis valentius contractis, franguntur, uterus inter ipsum partum

laceratur, ventriculusque aut cibis exoneratus aut potentiis mechanicis uti plaga, ictu, lapsu aliisque offensus aeque rumpitur atque oculus hydrope similibusve injuriis male affectus. Momentis hujusmodi cohaesionem ventriculi immutantibus vulnera ejus adjudicanda sunt. Attamen haec exempla non secus ac illa rarius tantum animadvertuntur subitamque mortem plerumque inferunt. Maxime haec vitia cohaesionis ab internis causis aut processibus chemico-dynamicis exoriri solent et ventriculi foramina fere tum observata sunt, cum morbi vel dynamici vel organici tunicarum cohaesionem infringentes praecesserunt, aliave organa circa ventriculi efficaciam laboraverunt. Per experientiam edocti scimus, prae ceteris loca ventriculi gangraenosa ulceraque destructiva 1) ob cohaesionis diminutionem lacerationi et foraminum genesi opportunitatem subministrare, quorum forma, circuitus atque indoles partium contiguarum summopere discrepant. Saepenumero ostia illa praeternaturalia verum substantiae defectum portendunt, id quod exemplum a me observatum et infra describendum testatur. Foramen eam exhibet speciem, tanquam paulo ante quaedam particula cultro excisa marginesque incisurae sanati sint, ita ut limes simplex atque laevis circa orificium repraesentetur, saepeque coalitio cum partibus finitimis animadvertatur. Saepius vero nil nisi mollities insolita ventriculi prostat, in veram ventriculi dissolutionem ac perforatiodem abiens, ad quod quidem phaenomenon Hunter 2) primus attendit. Vitium prius plerumque chronicum semper fere post ulcera nascitur, posterius vero gangraenam celeriter subsecutam excipit, ideoque subito saepe incursat. Memoratu dignum est posteriorem statum ex more infantibus tantum supervenire, exitumque lethiferum plerumque sortiri, raro adultos infestare, id quod observationibus

---

1) Voigtel's pathologische Anatomie. B. II. S. 462. u. 470.

2) Hunter on the digestion of the stomach ofter death. A. d. philos. Transact. in den Observ. en differ. parts of animal oeconomy. p. 226 — 231. Uebers. v. Scheller. Braunschweig 1802.

Jaegeri 1) aliorumque confirmatur. Uterque igitur status longe differt neque confundendus est, licet eidem causae fortasse innitatur. Non in animo est de posteriori sermonem facere, quapropter ad abnormitates prioris generis revertam. Quodsi genesin et originem foraminum praeternaturalium, quae sine vitae discrimine per annos interdum tenent, accuratius investigamus, momentum causale in processu inflammatorio chronico, funestum eventum adepto, collocandum esse reperiemus. Incendium ventriculi exquisitum et commune 2), nisi venena corrosiva, hydrargyrum muriaticum corrosivum, arsenicum, acida mineralia aliaque influxerint, quae ceteris paribus effectus chemici gratia facillime erosionem et perforationem stomachi efficiunt, experientia teste rarius in suppurationem et gangraenam abit, sin abit gignendis destructionibus illis longius temporis spatium requirentibus non par est, sed ob circuitum per omne organon diffusum citam causatur mortem. Alia inflammationum ratio est longarum, quippe quae per menses imo annos protrahuntur. Istae quidem summam medici attentionem desiderant, quum praeter opinionem vitae periculum minitentur, saepenumero symptomata diversissima et contraria arcessunt et pro causis, aetate hominis, temperamento, anni tempestate sexuque sexcentas differentias offerre queant. Vulgo cum criteriis varae gastritidis ne minimam quidem similitudinem alunt, constantiaque inflammationis signa fere semper absunt, aut in tenebris delitescunt. Quin adeo post mortem hujusmodi inflammationes detectae sunt, quarum per vitam ne levissima quidem suspicio exstitit. De Haen 3) ventriculi gangraenam observavit, nullo ejus symptomate unquam obvio. Similia hujusce inflammationis exempla Stoll 4), Moh-

---

1) Hufeland's Journal. B. 32. St. 2. p. 28.

2) Baillie Anatomie des krankhoften Baues. S. 72. Aus d. Engl. mit Zus. v. Soemmering. Berlin 1794.

3) De Haen Heilungsmethoden. Th. VI. Cap. VI. §. 2. B. 3.

4) Stoll ratio medendi. B. III. p. 384.

renheim 1), Michaelis 2) aliique tradiderunt. Causa obscuritatis istius, me quidem existimante, vel in eo ponenda est, quod affectio alia sensorii eademque multo gravior impedit, quo minus exilior percipiatur, vel quod inter initia potentia nociva aut aliud quidquam loci affecti sensibilitatem adeo pessumdat, ut inflammatio torporis indolem magis adsciscat. Quod ad genesin inflammationum chronicarum attinet, causae vix et ne vix quidem in aprico sunt. Inflammationes chronicas 3) generatim partes membranaceas glandulosasque opprimere novimus, quam ob rem hepar, parotis, oculi tunicae, ventriculi et tubi intestinalis, urethra, fauces et creberrimam sedem iis largiuntur. Hinc structura ventriculo dispositionem peculiarem ad hocce vitium impertit. Si occasionales causas respicias, omnia, quae gastritidem movent, et illas inflammationes concitare possunt. Saepissime processus ille inflammatorius magis secundarius seu consecutivus, e gastritide vera neque satis discussa residet. Opportunitas 4) ad inflammationes istiusmodi saepe nil nisi debilitas ventriculi, quae dicitur, qualis e febribus gastricis nata et exculta animadvertitur. Longe frequentissime autem spiritus frumentacei abusum, emesin immodicam et diuturnam, excessum in Venere, jejunium longius, animi affectus, uti moerorem, sollicitudinem etc. subseqnuntur, quae tanto facilius inflammationem chronicam movent, quanto magis ventriculum, functione ejus exturbata, debilitant, perpetuumque erhetismum alunt. Symptomata inflammationibus chronicis propria non solum diversissima verum etiam detectu difficillima sunt. Utplurimum exiguo ventriculi loco limitantur, neque aliis notis ab initio sese produnt, nisi dyspepsia habituali ac dolore rodente, qui pressu admoto augeri solet. Dolor iste saepius transversalis aut utrique hypochondrio infestus est,

---

1) Wienersche Beiträge. B. II. S. 235.

2) Medicinische Bibliothek. B. I. St. 3.

3) Dreyſsig's Diagnostic.

4) Rampal. De la gastrite chronique. p. 31. Montpellier 1822.

saepe constrictionis sensu stipatur. Subinde ab hypochondrio dextro ad scapulam lateris ejusdem protenditur, nonnunquam circa pectus ponderis gravioris sensationem ciet, interdum sola anxietas oboritur, quae sumtis cibis in dolorem hebetem vertitur. Febris eadem, qualis in aliis incendiis reperitur, nunquam fere prostat, attamen examine curatius instituto pulsum per intervalla aliquanto irritatum deprehendimus. Secretiones et excretiones partium vitio subactarum anomalias offerunt. Hinc aegrotis sapor fatuus et lingua muco albido oblimata vel acida et subrubicunda efficitur, haud infrequenter desiderium ciborum potuumque refrigerantium suscitatur. Excretio alvina normae raro congruit, frequentissime obstructio diuturna, rarius diarrhoea existit. Morbo longius procedente, dolores circa vertriculum intenduntur ac durities tensorque regionis epigastricae accedunt, nec ulla saburrarum vestigia comparent. Hac in periodo aegrotantes siti ingente torquentur, quae constantissimis hujus inflammationis symptomatibus accensenda est. Saepius pyrosis calorque fugax corpus occupant, subinde vomiturītiones et vomitus ipse incidunt, et si hactenus vitium neque cognitum neque a tramite suo dejectum est, multifariae nutritionis turbae nascuntur et adeps consumi incipit. Cutis, amisso candore, flavum et luridum colorem induit. Macies et marasmus singularis oboriuntur et donec mors aliusve exitus subsequatur, increscunt. Corpore hac in periodo extincto, sive marasmo, sive accidentali morbo, inflammationis vestigia, inciso funere, luculenter apparent. Pagina tunicarum ventriculi externa circa inflammationis locum vasorum numerum justo majorem, haud nimis constipatorum portendit. Partis inflammatae cutis paulo crassior est, interna membrana ob majorem numerum vasorum tenuiorem sanguineque scatentium valde rubet, saepeque maculae sanguinis extravasati aut involucrum muci cruenti conspicitur. Si inflammatio vontriculi chronica non discutitur, quod quidem ob continuam irritationem infaustasque conditiones rarissime contingit, eventus multiplex obtineri potest. Etenim ex more vel ulcerationem vel exsudationem subnasci videmus. Haec crassitiem, membranarum duritiem, degenerationem

parenchymatis etc., illa vero processum inflammatorium, latius serpentem, et ulcera ventriculi praestat, quae nisi occurratur, serius ocius per maciem, inanitionem febremve lentam interficiunt. Haec ulcera, sive erosiones sive perforationes induxerint, periculosissima quidem et curatu difficillima sunt, quam ob rem P. Franck 1) „Suppurationem" inquit „stomachi, nisi sola natura, medicus certe non sanat," verum tamen exemplis non penitus destituimur, quibus ulcera ventriculi destructiva nihil exitii inferrent. Exemplum a me infra subjectum haec abunde contestatur, etenim aeger non solum per seriem annorum ventriculum foraminibus pervium sustinuit, id quod e continuis vertriculi affectionibus liquet, sed margines foraminis etiam cicatrices induxerant, nec praeter inflammationis reliquias ingentemque collositatem ullum exulcerationis vestigium ob oculos cecidit. Tametsi vero ulcus conglutinatum et foramen abnorme cicatricibus munitum sit, e causis tamen manifestis mors inevitabilis irruat necesse est, nisi vis naturae medicatrix eodem processu, quo abnormitatem illam praestitit, ad vitam sustentandam utatur. Ipsa enim inflammatio circa ulceris ambitum plerumque obvia, ope lymphae coagulabilis adglutinationem nexumque organicum inter partes contiguas efficit, orificiumque praeternaturale obturat. Et hoc ipsum exemplo a me proposito confirmatur, etenim lobus hepatis sinister non solum foramini superinjectus fuit, verum etiam per telam cellularem strictam circa dispositam cum eo coaluerat. Soemmering 2), Courtial 3), aliique eandem ventriculi coalitionem cum hepate observarunt. Reil 4) feminam plures per annos cardialgia, vomitu atro, colica et excretionibus alvi cruentis divexatam incidit et posteriorem stomachi parietem ad magnitudinem thaleri imperialis corrosam, foramen cicatrice

---

1) Franck Epitome de comandis morbis. Lib. II. S. 248.

2) Baill. a. a. O. S. 82.

3) Lieutand Historia anatomic. med. Lib. I. Observ. 148.

4) Reil's Archiv für Physiol. B. IV. S. 375.

idoneo munitum et conglutinatione cum pancreate facta obturatum deprehendit. Similem in modum Sauhisson 1) ventriculi coalitionem cum peritonaeo, Haller 2) cum colo transverso, Stoll 3) cum mesenterio viderunt. Quodsi conglutinatio haud solvitur neque contenta ventriculi in ventris cavum effunduntur, vita per longam annorum seriem protrahi potest, sin contrarium evenit, subitam saepe mortem irruere videmus.

Cap. II.

De symptomatibus inde proficiscentibus.

Si vel in iis exemplis, quibus symptomata tam certa offeruntur, ut diagnosin manibus quasi prehendere liceat, summae saepe difficultatis est cum evidentia determinare, quodnam organon et quomodo sit affectum, quanto difficilior eorum vitiorum cognitio sit necesse est, in quibus uti in ventriculi morbis, tum visu tum tactu saepe destituimur signisque ambiguis acquiescere cogimur. Huc accedit, quod e diversissimis ventriculi vitiis praesertim foramina illa praeternaturalia partibus vicinis obliterata occultissima sunt, et experientia teste diutissime sustineri queunt, quin morbosi aliquid appareat. Quodsi igitur diagnosis ostiorum ejusmodi praeternaturalium tantis conflictatur difficultatibus minus quoad curam quam prognosin id dispiciendum est, ut phaenomena quaedam essentialia investigentur, e quibus cum evidentia anomaliam istius generis inter vitam suspicari licet. Haud vero singulis symptomatibus fidendum est, sed syndrome potius omnium phaenomenorum, ne erroribus irretiamur, consideranda venit, siquidem singula illa ambigua sint aliasque ventriculi affectiones comitari possint. E observa-

1) Schwedische Abhandl. XI. 1790. p. 12.

2) Haller's Opuscula pathol. Observ. XXIII.

3) Stoll's Heilungsmethod. B. II. S. 114.

tis exemplis a Morgagni 1), Lieutaud 2), Reil 3) aliisque traditis quidem patescit, utplurimum vomitum diuturnum saepius materiae nigricantis, cruentae, socolatae similis, frequentes stomachi dolores, maciemque constantissimis horum foraminum symptomatibus interponenda esse. Haec vero non semper animadvertuntur. Interdum enim ostia praeternaturalia per annos producuntur, nec uno symptomatum supra recensitorum manifestantur. Exemplum notatu dignum, cujus alicubi mentionem factam esse memini, Dr. Hell, Vindebonensis, nobiscum communicavit: femina ventriculi foramine ita laborabat, ut per hocce orificium non solum concoctionis opus observari, verum etiam arteriarum ictus persentisci possent. Aegrota diutius vixit, cibos potusque cum appetitu sumsit et parum vel nihil molestiarum sensit. Courtial 4) sequentis exempli mentionem fecit: „quaedam matrona diros stomachi dolores, ab ipsa infantia perpessa, tandem febre continua occubuit. Secto cadavere deprehenditur iu ventriculo foramen ovale, pollicem unum cum dimidio longum, cujus circumferentia callo cingebatur. Foramen illud adglutinatum conspiciebatur parvo hepatis lobo et hinc accurate obturatum.“ Neque minus Morgagni 5) ventriculi laesionem eamque scitu dignissimam memorat: „mulieri ad ventriculi regionem tumor increverat, quem contrectans chirurgus cum ad suppurationem perducendum censuisset, quautumvis iis, quae ad id sunt idonea impositis, ad illam perducere tamen non potuerat. Denique eum tum res finem habuit, ut tumor evanesceret, cute ubi is fuerat, qui nihil quidquam humoris emiserat, quasi in cicatricis modum se contrahente. Post haec mulier concipit, uterique gestatione et partu et puerperio feliciter peractis, cum recte valeret, lactantique optime lac proveniret, tertio jam praeterito, ex quo pepererat

1) Morgagni de sedib. et causis morb. B. II.

2) Lieutaud Historia anatom. medic.

3) Reil's Archiv für Physiol. B. IV.

4) Lieutaud Histor. anat. med. Lib. I. Observ. 148.

5) Morgagni de sedib. et caus. morbor. Lib. III. S. 215.

mense repente sibi ex ea cicatricula aliquid humoris stillare sentit. Inspicit: vinumque esse videt, quod modo biberat. Aliquid etiam ex sumpta pulte illac, si conaretur, extrudere poterat. Is rei tamen exitus fuit, ut mulier persanaretur, integraque esse pergeret valetudine.“ Quodsi omnia phaenomena, quod fieri posse, ex propositis exemplis patet, a nobis absunt, quaestio dirimenda venit, quibusnam signis inniti oporteat, ut cum quadam probabilitatis specie discernamus, an quis hocce ventriculi vitio detineatur nec ne? Hoc diremtu difficillimum quidem est, sin autem aegrotum hujus generis accuratius examinamus, anamnesin sedulo eruimus, statumque praesentem cum aliis ventriculi affectionibus comparamus, si denique omnia rite pensitamus, signa quaedam non abfutura esse confido, quae indicio nobis sint ad vitium stomachi organicum salva veracitate suspicandum. Plerumque mali initio digestionis difficultates et inflammationis chronicae symptomata supra enumerata praecedunt, aegroti saltem perpetua dyspepsia conflicantur, laetisque epulis abstinere coguntur. Serius ocius vomituritio ac vomitus ipse incursant, quorum hic praesertim pastum excipit, eoque pariter ac mora diuturniori ab aliis vomitus speciebus discrepat. Iste vomitus tenacissimis symptomatibus adjudicatur, raroque vitium a nobis descriptum citra hanc notam exstitit. Sitis alteratur et vel acescentia vel humorum alcalescentia prostat. Morbus in his non subsistit, nam ventriculi sensilitas vel ab initio mirum in modum alienatur vel serius pervertitur. Aegri dolorem rodentem, ardentem ac perforantem conqueruntur, qui pro affecta parte modo hunc modo illum ventris locum adoritur nunc periodicus nunc continuus est, ex more tamen loco certo per abdominis explorationem manifesto limitatur. Haud raro adeo invalescit, ut aegri convulsionibus animique deliquiis pessumdentur. Digestionis turbas haud mediocres simul adesse, per se liquet. Corpus macrescit, etenim ventriculus functioni haud respondens pravum comparat chymum et pro lege universali: qualis chymus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, et nec sarciendo materiarum damno neque nutritioni praestandae sufficere potest. Haecce symptomata abnormitati illi pro-

pria raro conjuncta et tam exquisita deprehenduntur, qualia nobis descripta sunt. Saepius enim attentionem nostram praeterfugiunt, quo fit, ut anamnesis tantummodo, accuratissima aegrorum odservatio, symptomatum animadversio et comparatio, quibus potissimum systema reproductivum, deinde irritabile quoque et sensibile subiguntur, amussin nobis offerant. Hisce digestionis difficultates supra positae singulatim adjudicandae sunt: dyspepsia, anorexia, tendor et pressus ventriculi, foetor oris, sapor alienatus, ructus, nausea, vomituritiones, appetitus prostratus, sitis vel exaucta vel minuta, motus febriles, pallor faciei, pulsus celer et irritatus, horripilationes calore fugace exceptae, dolores multifarii, cardialgia, gastrodynia, animi abalienatio, morositas, sollicitudo, moeror, ingenium difficile. Si morbus summum fastigium est adeptus, vomitus materiae mucosae, purulentae, cruentae aut nigricantis cum alvi obstructione vel profusione et excretione similium materiarum per anum oboritur. Venter tumet, flatulentia, nutritionis labes, chymificationis et chylificationis, humorum perversitas, color faciei pallidus ac luridus, habitus cachecticus, adipis contabescentia, musculorum marcor, emaciatio, sensuum hebetudo, languor ingens, virium exsolutio, paralysis incipiens, haemorrhagiae paralyticae, melaena, secessus involuntarii, convulsiones, animi deliquia, resolutio artnum inferiorum, colliquatio, hydrops, febris hectica, tabes, decubitus, mors subsequuntur. Raro autam haec phaenomena in eodem homine combinata reperiuntur, sed alia atque alia praevalent, prout causa, vel habitus corporis, vel mora, circuitus vitii, affectiones secundariae, aetas etc. discrepant, Eo in homine quem hocce vitio laborantem in charitatis nosocomio observavi, plurima horum symptomatum, uti ex historia morbi adjecta patet, in conspectum prodierunt, quam ob rem investigato naturae ordine praestantissimisque auctorum consultis nihil aliud operam dedi, quam ut symptomata depingerem atque cum aliorum observationibus conciliarem.

Cap. III.

Theoremata circa hanc materiam provulgata.

Causam usitatissimam hisce abnormitatibus subditam in processu inflammatorio lento exulcerationemque inducente collocandam esse, nisi potentiae mechanicae lacerationem, aut chemica irritamenta, uti venena, acida mineralia ceteraque incendium ac erosionem praestiterint, e superioribus satis elucescit. Saepissime autem foramina praeternaturalia reperta sunt, quae uti jam comprehensum est, cum prioribus ne minimum quid similitudinis offerrent. Mors in his exemplis subita irruebat, oraeque foraminis neque rotundae neque collosae erant, sed specimen oblongum prae se gerebant, ita ut vitium rupturae aut dissolutioni ventriculi possit aequiparari. Margo foraminis inaequalis, laceratus, mollissimus, facile diffusibilis, fimbriatus atque dentatus comparuit. Frequentissime malum illud circa ventriculi fundum vel majorem ejus curvaturam, rarius in aliis locis observatum est: quibus igitur in casibus vulgaris ratio genesin explicandi haud snfficere videbatur. Auctores illud intuentes, quod nullum saepe inflammationis aliusve morbi vestigium in istiusmodi hominibus animadvertebatur, de concoctione post mortem multum confabulati sunt, eique originem foraminum praeternaturalium adscripserunt. Spalanzani 1) et Hunter 2) opinionis illius principes duplici sensu, concoctionem post mortem intelligamus volunt. Spalanzani enim, animalibus antea pastis nece affectis et in sublimiorem temperiem delatis nutrimenta digesta observavit, quod succi gastrici ope post mortem evenire ratiocinabatur. Res in facto posita est, sed meditemur oportet, corpus paulatim et a peripheria inde emori. Quod si est, ventriculus functioni suae aliquamdiu satisfacit, quapropter concoctionem post mortem ad certum usque gradum fieri posse, probabile est. Aliter Hunterus sensit, quippe qui tam in hominibus quam brutis ventriculi parietes

1) Spalanzani Versuch über das Verdauungsgeschäft. Leipz. 1785.

2) Hunter l. c.

affectos, perforatos et modo descripto alienatos vidit. Hoc e vi vitali extincta partium et virtute succi gastrici resolvente, qui post mortem etiam efficax et digestionem quasi continuet, diducit; sin autem infitias eundum non est, omnes corporis partes itaque ventriculum quoque post mortem magis minusve alienari novissimeque deleri, nunquam tamen haecce phaenomena protius accedunt, sed vel putredine et decompositione incipiente efficiuntur, vel singularia sistunt phaenomena cum superioribus haud concilianda, sed pro morbi effectibus habenda. Generatim cum Huntero de digestionis processu post mortem continuato sermonem facere non licet, vita enim extincta, processus antea evenientes abrogandi sunt. Eodem jure nutritio post mortem vindicanda est, quam sententiam nemo non ineptam agnoscet. Ceteroquin ventriculus non mortuus et liquores in eo contenti vitales habendi sunt. Huc accedit, quod destructiones istiusmodi longe aliam succi gastrici mixtionem supponant, quam nobis comperta est, et quod succus gastricus animalium fame exhaustorum atque mactatorum nihil acidi liberi offert, quod generatim morbi alicujus productum esse videtur. Succo gastrico resolvendi virtutem inesse, nemo diffitebitur, totum vero concoctionis opus ab eo pendere, plurimam recipit dubitationem, longeque aliis adminiculis opus esse videtur, quibus calor animalis, ciborum praeparatio per manducationem, salivae admixtio et motus stomachi activus certe praestantissimus, interponenda sunt. Quodsi Hunter 1) contendit, se illas destrcutiones in corporibus antea integerrimis reperisse, veritatis species eo magis obfuscatur. Soemmering dissertis verbis nuntiat, ventriculos sanos intactosque non nisi in hominibus sanis subita violentaque morte extinctis deprehendi. Observationes denique et res in facto positae, quarum Hunter mentionem facit, multum dubitationis admittunt. Duobus capitis laesiones violentae et conquassantes praecesserant, tertius suspendio trucidabatur. In omnibus hisce exemplis causae exstiterunt, quae praeter palmarium ad caput effectuu, ventriculum quoque secundaria via offendere possent, et si commercium in-

1) Hunter l. c.

timum pensitamus, quo ventriculus cum capite fruitur, non temere suspicamur, priori in exemplo violentiam capiti illatam simul constrictionem ventriculi convulsivam et rupturam, in altero autem casu fortasse suspendium, detrusionem a scalis etc. haud minus ventriculi lacerationem inducere potuisse. Homines per vitam valetudine integerrima esse gavisos, ratiocinari quidem, neutiquam vero cum evidentia asseverari potest. Ex more quidem sed non semper morbi singulares notis singularibus sese manifestant; fingamus Hunteri effata de valetudine illorum hominum integra non in dubium esse vocanda, siquidem ratio foraminum praeternaturalium alia exstitit multo saepius tamen inflammationes chronicae aliaque vitia stomachi occulta, quam vis succi gastrici resolvens, abnormitatibus illis ansam praebere videntur. Hisce etiam Jaegeri 1) observationes favent, quippe qui omnia exempla sibi obvia adultorum infantumque fuisse tradit, praegresso ventriculi morbo detentorum. Hinc phaenomenon illud mere pathologicum dicendum est. Cruikshank 2) de ventriculo perforato referens vitium ex aucta vasorum lymphaticorum vi interpretatur, hancce causam magis fictitiam esse, jam ex eo patet, quod vasa resorbentia per totum intestinorum tubum omnesque alias partes dissipata reperiuntur, neque symptomata morbi post mortem animadvertuntur, aut substantiae defectus unquam detegitur. Numne praeter inflammationem chronicam alia existat via, qua orificia praeternaturalia aut magis dissolutiones ventriculi exoriri queant, nondum satis dilucidari potuit. Nervorum systema non solum corpori imperare omnisque sensus et motus fundamentum continere, verum etiam principium formans et ordinans exhibere novimus, quo organismi reproductio dirigatur. Argumentum ab ipsa experientia petendum. Systema nervorum vitam vegetativam quasi in unum cogit. Glandulae aliaque organa quasdam reproducunt partes, nervi autem eas ordinant ac determinant. Partes, quarum nervi substringuntur, emoriuntur, siquidem reproductio prosternitur.

1) Jaeger l. c.

2) Cruikshank, anatomy of the absorbing vessels. pag. 113.

Oculus resoluto optico nervo tabescit. Febres nervosae vel robustissimis corporibus post biduum saepe decubitum efficiunt, e contrario phthisi et carcinomate laborantes per annos saepe sine morbi notitia decumbunt. Quodsi nervorum efficacia ad reproductionem hisce rebus extra omnem dubitationis aleam ponitur, non video, quidni iis in exemplis, quibus nervorum vita partiatim exstinguitur, causis aeque incognitis ac in nervosa febre mors partialis organorum afflictorum, ergo ventriculi incendia et gangraena sicut integumentis cutaneis subito subnasci queant. Systema nervorum haud mediocriter labefactatum esse, ex observationibus Iaegeri 1) abunde liquet, quippe qui dispositionem singularem ad ventriculi dissolutionem praeternaturalem in his quaerendam esse asserit, licet altera ex parte alienata nervorum actuositate secretionem stomachi alterari acidique generationem effici contendit, quod corrodat et causam occasionalem suppeditet. Primum illud dubitandum non est, an vero productum hocce itinere natum acidi corrosivi naturam obtineat, destructionemque praestare posset, non solum pro ambiguo habendum, verum etiam nostrae chemiae animalis notitia parum evictum est. Cum sententia mea observationes etiam conciliari possunt, in iis obviae, quos febris flava aut pestis exstinxerat. Helmont 2) enim in corpore hominis post septem horas a pestis initio defuncti crustam gangraenosam circa cardiam reperit, in alio autem post sedecim horas mortuo ventriculum tribus maculis gangraenosis pervium vidit. Iam autem omittamus rem, quam spinosissimam et difficillimam minime omnibus dubiis expeditam esse libenter fatemur: attamen tironi artis medicae jam satis erat, attentionem in re tam ardua collocare arbitriumque virorum praestantiorum sagacitati atque experientiae relinquere.

---

1) Iaeger l. c.

1) v. Svieten Comment in Boerhavii aphorism. Tom. III. p. 146.

HISTORIA MORBI.

Joannes Thiele sanis parentibus natus morbos infantiles feliciter superavit. Mature Veneris desiderium ei excitabatur, quo ex fonte pollutiones nocturnae copiosae anno aetatis decimo quinto jam exortae derivandae videntur, quibus postea alii excessus supervenerunt vitaeque perditae damna induxerunt. Praeter hypochondriasin anno decimo septimo jam accedentem musculorun languor et debilitas inter ambulandum apparuerunt, nihilo secius neglectis cautelis pristinae indulsit vitae rationi, animique turbas spirituosorum usu profligare studuit, donec anno aetatis vicesimo secundo infectione syphilitica corriperetur. Gonorrhoea syphilitica inde enata haud diu perstitit sed remediis adstringentibus ad morbum debellandum administratis cessit. Praeter languorem illum aeger torporis sensum circa os sacrum eundemque fere continuum animadvertit. Hoc vitio non impediebatur, quo minus bello conflato A. 1806. militiae nomen daret multisque contentionibus atque excessibus sese objiceret. Annis 1812 et 1814 contra Russos et Franco-gallos militavit, novisque debilitatus injuriis ad nosocomium militare delatus est. Abusus spirituosorum et excessus in Venere nec non aliae noxae digestionem antea fere exhaustam penitus prostraverunt. Anorexia, motus febriles artuumque dolores prius jam divexantes, summa cum violentia exasperabantur affectionisque arthriticae suspicionem movebant. Morbus per plures trahebatur hebdomades, neque exactissima cura prorsus dissipari potuit. Relicto nosocomio dolores antea intolerabiles maximam partem quidem evanuerunt, at vero insignis corporis debilitas, dyspepsia chronica et pressus tendorque circa ventriculi regionem, in veram saepe cardialgiam abeuntes, residebant. Haud dubie spirituum abusus jam inflammationis chronicae fundamenta straverat, quae partialis ac circumscripta funesta occultavit damna, quibus aeger obviam ivit. Brevi interposito tempore prisca affectio nominatim artuum dolor majori cum atrocitate rediit aegrotumque ut missionem peteret, permovit. Licet res familiares, accepta missione, aliquanto laetiores redderentur, difficultates tamen topicae ventriculi magis magisque increverunt, ciborum appetitus plane exstinctus et paulo post macies subsecuta est. Nutrimenta rudiora, dura et dyspeptica imo leviora olera et juscula sine symptomatum morbificorum augmento non amplius ab aegro sustinebantur. Sitis ingens fuit et stomachi dolores ita evehebantur, ut aegrotus circa locum affectum carbonem ardentem persentisceret. Horis matutinis saepe colica potatorum accessit, et per intervalla vomitus verus incursavit. Excretiones alvinae ita turbabantur, ut nunc adstricta nunc fusa alvus existeret. Infirmitas et macies exaugebantur vultusque mirum in modum mutabatur, color pallidus et luridus, oculus languidus habitusque cachecticus luculenter apparebant. Longius temporis intervallum hoc modo trahebatur donec pedum dolores recrudescerent et oedema a talis orsum excoleretur. Aegrotus ob nimiam debilitatem maciemque lectulo suo affigebatur, subinde vomitus materiae cruentae et nigricantis similesque alvi excretiones supervenerunt. Oedema pedum serpsit, in digitis torporis sensatio exorta est, artusque inferiores resolutione sunt subacti. Hisce cruciatus malis aeger ad nostrum caritatis nosocominm deferebatur et cum primis post ejus adventum diebus vomitus cessaret aegrotusque symptomatis illius mentionem haud faceret, paralysi cum hydrope incipiente et secundario agnoscebatur. Magna egestas et excessus in Venere huic malo ansam praebuisse videbantur, quapropter aegro praeter diaetam nutrientam et instaurantem inunctiones spirituosae circa partes resolutas et emulsio phosphorata ad excitandam nervorum actionem praecipiebantur.

D. 12. Jul. Somnus irrequietus nihil confectionis appulit. Aeger expergefactus dolores intensiores circa os sacrum et dorsum conquerebatur. Sub vesperam motus febriles incursarunt, pulsus exilis acceleratusque temperies perinde ac sitis adaucta fuerunt. Alvi excretio nulla. Praeter medic. praecepta nil ciborum aeger assumsit.

13. Jul. Balnea sulfuria administrabantur.

14. Jul. Balneo pridie sumto multum sudoris die noctuque profluxit. Circa vesperam febris, sitis et calor adauctus nec non debilitas et languor ingens apparuerunt. Hanc ob rem balnea suspendebantur.

15. Jul. Dolores circa ventriculum atroces, inter noctem coorti, febris adaucta, pulsus perquam exilis. Ventris infimi tendor et inflatio nec non eximia ejus sensilitas. Vomitus materiae cruentae et nigricantis ejusdem dejectio per anum. Phosphor tamquam contrarius abrogabatur ejusque in locum mucilaginosa et emulsiones substituebantur.

16. Jul. Vomitus et excretiones alvi nigricantes per intervalla incidebant. Aeger valdopere exhaustus animi deliquiis, pusillanimitate, sollicitudine torquebatur. Somnus abfuit. Sitis continua, tendor et inflatio ventris perstiterunt.

17. Jul. Dolor epigastricae regionis nec non pulsus celeritas decreverunt. Vomitus tamen cruentus perseveravit aegerque omnibus abstinuit cibis. Materiae per anum et os dejectae colorem viridem aquae non impertierunt sed sanguinis instar reegerunt.

18. Jul. Vomitus, tensio et inflatio abdominis sese remiserunt, aeger vero dolorem ardentem ventriculi conquestus est.

19. Jul. Singulis vesperis febriles motus intendebantur, noctu sudores profusi erumpebant. Vomitus sanguinolentus et diarrhoea sanguinolenta redierunt, quae acidis dilutis et aquae frigidae injectionibus tractabantur.

20. Jul. Paralysis inferiorum artuum ita perstitit, ut sensilitas resolutarum partium augeretur potius quam minueretur, reliqua superioribus congruebant.

21. Jul. Aeger plures materiae nigricantis mensuras tam per os quam per alvum dejecit: serum lactis aluminatum pro potu ordinario exhibebatur.

22. Jul. Excretiones sanguinolentae decreverunt. Ceterum nihil mutationis contigit.

23. Jul. Aeger aliquanto melius habere videbatur. E pluribus inde diebus hodie paululum jusculi carnis cum ovi vitello assumsit. Cubitus ei infestissimus fuit.

24. Jul. Vomitus denuo recrudescebat, secessusque involuntarii antea non observati exoriebantur.

25. Iul. Omnia eadem, quae supra posita sunt, fuerunt.

26. Iul. Partes resolutae ingentibus per noctem doloribus vexabantur. Sub his animi deliquia et convulsiones, appetitus deletus, vomitus continuus sanguinolentus et diarrhoea involuntaria sanguinolenta, exinanitio virium, febris hectica exquisita, facies collapsa, pulsus parvus, exilis, decubitus incipiens.

27. Iul. Ardor ventriculi, sitis insatiabilis, sudores profusi, secessus involuntarii.

28. Iul. Convulsiones reiteratae, lypothimias excipientes.

29. Iul. Sitis magna, vox debilis, consumtio virium totius corporis, deliria.

30. Iul. Nil mutationis exstitit.

31. Iul. Excretiones sanguinis per os et alvum repetitae muco intermixtae, decubitus progrediens, deliria.

1. Aug. Debilitas maxima, impotentia deglutiendi, vomitus inexpugnabilis.

2. Aug. Symptomata eadem.
3. Aug. Defectus animi, vomitus cruentus.
4. Aug. Torpor sensuum externorum et internorum, pulsus parvus exilissimus.
5. Aug. Facies hippocratica, resolutio linguae, vox deficiens.
6. Aug. Mors.

Visum repertum.

Patefacto ventris cavo intestina inflata sanguinis inania et pallida reperiebantur. Situs eorum haud abnormis, ventriculi magnitudo consentanea exstitit, re autem curatius inspecta curvaturae minoris coalitio cum hepate sese obtulit et circa coalitionem durities haud mediocris fere callosa apparuit. Ne connubium illud notatu dignissimum praematurius diduceretur et ventriculi intestinorumque contenta conservarentur, optimum factu duximus, si coecum atque oesophagus ligatura munirentur et exenteratio institueretur, quae quidem facili negotio praestabantur. Tubus intestinalis sedulo explicatus juxta longitudinem incidebatur, ut si adessent varicositates vel alia vitia reperientur, quae morbo praegresso aliquid lucis affundere possent, attamen praeter riliquias exiles materiae nigricantis et cruentae observatio exactissima nihil detexit. Ventriculus solus aegrotasse videbatur, ideoque omnem attentionem in se concitabat. Incisio ejus a cardia inde ad pylorum instituebatur, ad connubium cum hepate factum et duritiem circa dispositam accuratius examinandam et inspiciendam. Primo jam obtuitu, duabus fere unciis materiae illius nigrae effusis circa minorem curvaturam magis ad anteriorem partem quam posteriorem foramen circulare duos pollices circiter patens comparuit, cujus margines tertiam pollicis partem crassi et callosi fuerunt, quodque superficie inferiore lobi hepatis sinistri adeo obturabatur, ut nil commercii cum ventris cavo obtinere possit. Periculum, coalitionem illam tela cellulosa solida compactaque effectam diducendi digito quidem facile successit, verumtamen nimis firma fuerit necesse est, quam ut vomitu continuo et ventriculi contractione laceraretur. His diductis facies hepatis in tabula lithographica strictius sub litt. c. designata in conspectum luculenter prodiit nec a reliqua hepatis parte nisi colore albidiori et splendidiori nec non involucro firmiori discrepuit. Foraminis circuitus ita fuit constitutus, ac si particula thaleri imperialis magnitudinem superans scalpello esset excisa, quem circa locum durities peripheriem versus paulatim evanescens deprehendebatur. Reliqua ventriculi pars sana, vasorum fabrica integra et vasa brevia nihil dilatata fuerunt, ad posteriorem tantum ventriculi paginam tunicam villosam exadversum foramini praeternaturali plicatam, rarefactam solitoque duriorem investigavimus, quam fuisse locum existimo, qui per vitam resolutis vasorum finibus sanguinem profunderet. Praeparatum in Museo-anatomico nostro asservatur.

EXPLICATIO TABULAE.

a. Circuitus callosus foraminis praeternaturalis ventriculi.
b. Tunica parietis ventriculi posterioris villosa, plicis turgidis solitoque durioribus instructa.
c. Superficies lobi hepatis sinistri inferior retrorsum versa, qua foramen praeternaturale inter vitam, tela cellulosa interjecta, obturabatur.
d. Lobus hepatis dexter.
e. Ligamentum suspensorium hepatis.
f. Pars oesophagi inferior prope cardiam.
g. Duodenum incipiens.
h. Curvatura major ventriculi.
i. Saccus ventriculi

VITAE CURRICULUM

EX

DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADIECTUM.

Ego, Carolus Fridericus Guilelmus Sabat, d. XXIX m. Octobris A. MDCCXCIX., Luebenae, oppido Silesiae inferioris, patre Carolo Sabat, oppidi illius cive, matre Christiana, e gente Tschirchiana, natus et christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Ad decimum quartum aetatis annum usque primis litterarum principiis in schola, Leomontii florente, imbutus Berolinum petii, ibique Gymnasium, quod Fridericianum Guilelmanum nominatur, per plures annos frequentavi. Anni millesimi octingentesimi decimi octavi mense Aprili alumnis seminarii med co-chirurgici militaris Friderici Guilelmi nomine insignis adscriptus, per quadriennium ad medicinae utriusque studia pro viribus iucubui, neque minus in medicina, chirurgia atque arte obstetricia exercenda versatus sum, fungens per annum unum et dimidium munere medici inferioris in nosodochio caritatis. Ab eo inde tempore Virorum Perillustrium et Celeberrimorum, quorum gratam memoriam nunquam ex animo dimittam, praelectionibus interfui: De philosophicis Beat. Kiesewetter, de chemia, physice et pharmacia Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte, de botanice, historia naturali, toxicologia atque encyclopaedia doctrinarum naturalium Ill. Linck. Anatomiam, tum theoreticam, tum practicam Ill. Rudolphi et Ill. Knape me docuerunt. De physiologia Ill. Rudolphi et Cel. Eck, de pathologia generali et semiotice Cel. Fr. Hufeland, de pathologia speciali Ill. Horn, de psychicis morbis Cel. Neumann, de historia medica Cel. Hecker disserentes audivi. In therapia speciali mihi duces fuere Ill. C. W. Hufeland et Cel. Fr. Hufeland, in materia medica Cel. Osann, in arte formulas medicas concinnandi et anthropologia forensi Ill. Knape. Chirurgiam, tam generalem, quam specialem, neque minus akiurgiam Ill. Graefe, Ill. Rust. et Cel. Kluge mihi tradiderunt. A Cel. Kluge artis obstetriciae, et theoreticae et practicae cognitionem fasciasque applicandi praecepta accepi. Exercitationibus clinicis, tum medicis tum chirurgicis Ill. W. Hufeland et Cel. Neumann, Ill. Graefe et Ill. Rust interfuisse glorior.

Tentamine d. XXIV. m. Jul. et examine rigroso d. II. m. Aug. a. c. coram Gratioso Medicorum Ordine peractis, dissertatione inaugurali conscripta palamque defensa, nihil magis in votis habeo, quam ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Omnes corporis nostri partes vivunt.

II.

Hydropem vasorum secretioni sanguiferorum adauctae originem debere, existimo.

III.

Morbos statim vi et armis supprimere melius est, quam eos sensim sensimque curare.

IV.

Placenta post partum statim solvenda, nisi mox per se sequatur.

